



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 45. Regis indignatio contra Refractarios Sorbonæ Doctores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1721.

§. XLV.

*Regis indignatio contra Refractorios  
Sorbonæ Doctores.*

Nequidem alieno periculo ac poena sapere didicerant Parisienses Facultatis Doctores; postquam enim Montepessulanus, Senecensis & Bolognensis Episcopi sua responsa ad Regii Senatus decretum contra eorum appellationem editum Regi offerre præsumpserant, horum exemplo animati non pauci utriusque Cleri Sacerdotes suas innovabant appellationes: Die autem postrema Februarii Cardinalis du Bois Joannem Facultatis Syndicum accersiri jussit, qui tamen comparere renuit, veritus, ne Regis literas die trigesima Januarii contra Facultatem datas ad acta referre juberetur. Idem vero Syndicus in plenis Sorbonæ comitiis die prima Aprilis Facultatis Theologice Doctores, ut solemnes exequias pro defuncto Pontifice celebrari curarent, hortatus, his verbis eos allocutus est.

„Omnibus nostrum perspectum est,  
„Beatissimum Patrem subitanea  
„non morte decessisse: Adversa quæ  
„dem diu premebatur valetudine, paucis  
„cis tamen abhinc mensibus vires suas  
„non sine longioris vitæ spe recuperasse.

„Vide



„videbatur: Si autem æquitas postu- Sæc. XVIII.  
 „lat, ut omnes fideles pro Successore A. C. 172F.

„D. Petri tam vivente, quam mortuo  
 „suas ad Deum preces fundant,  
 „Vos, qui affectu erga S. Sedem nulli  
 „inferiores estis, fortiori jure pium  
 „obsequium Clementi XI. per publi-  
 „cas & privatas preces exsolvere  
 „obstricti eritis. Parentate ergo huic  
 „Pontifici funebri pompa, indictisque  
 „precibus, quibus tantum fervorem &  
 „solemnitatem adjungatis, ut obstruan-  
 „tur eorum ora, qui vos criminari ausi  
 „sunt, perinde acsi a Reverentia sacræ  
 „Sedi debita defecissetis, dum fides sum-  
 „mo discrimini exposita Vos compulit,  
 „ad Ecclesiæ Tribunal fugere, ejusque  
 „auctoritatem implorare, illiusque de-  
 „cisionem *etiannum* deposcere. Ex fi-  
 „nitra hac opinione contra Vos temere  
 „concepta velut ex sæcunda scaturi-  
 „gine profluxerunt tot decreta, tot  
 „Curix Romanæ comminationes, in  
 „quibus non illa elucet clementia, quæ  
 „a Sanctissimo Patre expectari potuis-  
 „set. Horum quoque indignitas Vos  
 „impellere debet, ut majori adhuc fer-  
 „vore pro Clementis XI. anima ad  
 „Deum, vivorum & mortuorum Domi-  
 „num vestra ingeminetis suspiria, quæ  
 „adeo publica & sonora sint, ut uni-  
 „versus Orbis, si fieri posset, agnoscat,

N 3

„Vos



Sæc. XVIII., Vos ita veritatem ubi vis propugnare,  
A. C. 1721., ut charitas vestra etiam erga eos,  
 „qui vos indigne habent, non mi-  
 „nuatur.

„Novi insuper Pontificis electio im-  
 „pense vestras preces exigit, invocare  
 „ergo Spiritum sanctum, ut Cardinali-  
 „bus in ejus nomine congregatis in-  
 „spiret, quatenus ejusmodi eligant Pon-  
 „tificem, qui Ecclesiæ malis, quibus  
 „premitur, remedium opponere, &  
 „majora, quæ timemus, mala sua au-  
 „toritate prævertere valeat, Pontifi-  
 „cem, qui in illis Canonibus & Ecclesiæ  
 „legibus, a quibus nunquam devia-  
 „nec unquam deviatum estis, versatus,  
 „earum observantiam urgeat, Pontifi-  
 „cem, qui vestram constantiam in  
 „tuenda veritate comprobata magni  
 „habere noverit, & ipse hanc vestram  
 „firmitatem suæ auctoritati adeo non  
 „contrariam existimaverit, ut etiam  
 „eam protegat, & approbet, persuasus  
 „quod ea duntaxat ad fidei, Religionis  
 „imo & legitimæ auctoritatis Pontifi-  
 „ciæ conservationem collimet; talem  
 „denique Pontificem, qui vestra com-  
 „pleat desideria, & viam a Christo Do-  
 „mino stabilitam ingressus fidei ac mo-  
 „rum integritatem conservet, quam  
 „Ecclesia per cuncta retro sæcula con-  
 „stanter est secuta, & Pontificum Ro-  
 „mano-



„manorum celeberrimi cum ardore Sæc. XVIII.  
 „quæsierunt, cum Zelo promoverunt, A. C. 1721.  
 „& feliciter ad metam perduxerunt  
 „&c.,

Postquam die tertia Aprilis Facultas pro defuncto Pontifice solemnes haberi exequias decreverat, hanc Syndici orationem, quæ renovatæ appellationis speciem, & decretorum Constitutioni adversantium confirmationem præseferbat, magno opponentium applausu exceptam ad tabulas referri statuit. Verum ultima ejusdem Mensis die Syndico a Rege inhibendum, ne sermonem suum tabulis inferere auderet, ipse vero in comitiis die prima Maij habitis de hoc interdicto nullam omnino mentionem fecit, & vehementer desuper querente Hulliero Doctore, Syndicus respondit, sui muneris esse de literis Regiis duntaxat ad Facultatem, non autem ad se directis rationem reddere, similes quoque literas recepisse Decanum, has ergo ipse prælegi curaret: Ergo deliberatum, utrum Decanus & Syndicus ad exhibendas hasce literas adstringendi essent, variis varia opinantibus Rollinus tres aut quatuor propositiones ex binis Sueffionensis Episcopi epistolis ad Bolognensem Episcopum scriptis extractas denuntiabat; verum post factam desuper Facultatis delibe-



Sæc. XVIII  
 A. C. 1721  
 rationem die decima tertia Maij Rol-  
 lino traditæ fuerunt Regis literæ, qui-  
 bus Tutelam exulare iussus est: Atte-  
 men ipsemet Cardinalis Noaillius apud  
 Regni Regentem acriter declamabat  
 adversus præfatas hæc Suesſionensis  
 epistolæ, eoquod Appellantes indignum  
 in modum infectatus, eos tanquam ab  
 Ecclesia segregatos haberet, & ipsius  
 Noaillii Cardinalis instructionem impug-  
 nans, multa paci ac veritati contraria  
 divulgasset, omnesque suæ Diœcesis  
 Clericos adegisset, ut sequenti formulæ  
 subscriberent: *Nos infra scripti corde  
 animo nos Constitutioni Unigenitus, sub-  
 mittimus, librum reflexionum & Cl. Pro-  
 positiones inde extractas prout censuræ  
 sunt, damnamus, & in administratione  
 Sacramenti pœnitentiæ nos Constitutionem  
 præfatæ conformaturos promittimus, &  
 appellationem ei interjectam pro schismaticis  
 Appellantes vero pro schismaticis habemus  
 & tanquam hæreticos fugimus eos, qui for-  
 mulæ subscribere, & Bullam: Vineam  
 Domini &c. recipere renuunt. Aurellie  
 nensis igitur Dux, ut Cardinalem placet  
 caret, Suesſionensem has epistolæ in  
 consulto divulgasse, se tamen totam  
 rem regio Senatui commissurum respon-  
 dit, mox ergo Syndico literas Regi  
 sigillo munitas transmisit: Hic vero in  
 comitiis se excusabat, quod nuper re-*



gias literas non exhibuisset, nec suum Sæc. XVIII.  
 sermonem actis inseruisset; id enim A. C. 1721.  
 ideo factum agebat, eo quod Rex id  
 prohibuisset, nec Sanior Doctorum  
 pars hanc orationem inseri postulasset,  
 de cetero autem sibi esse injunctum,  
 ut Facultatem moneret, quatenus  
 deinceps a tumultu abstineretur, &  
 si qui extra ordinem suas sententias  
 proferre aufuri essent, eis silentium  
 imponere, imo & e conventu illos eji-  
 cere compelleretur: postea prælegit  
 tres illas Regis literas, in quarum pri-  
 ma Rex Quinotum Doctorem omnibus  
 suis functionibus privavit, in altera qua-  
 tuor refractarios Doctores ad nullum  
 Facultatis conventum admitti jussit,  
 in tertia vehementer questus est, quod  
 quidam Doctores circa causas, de quibus  
 die quarta Augusti inhibuisset, de-  
 liberare, ac insuper Suesionensis Epi-  
 scopi epistolas denunciare præsumpsis-  
 sent, quapropter Facultati præcepit  
 Rex, ut nullam hujus denuntiationis  
 rationem haberet, sed exactum silen-  
 tium circa controversias ob Constitu-  
 tionem motas juxta Regiam declaratio-  
 nem servaret: denique cunctis Docto-  
 ribus inhibuit, ne quicquam in comi-  
 tiis proponerent, nisi id prius Decano  
 & Syndico communicassent, hi vero,  
 quæ proponerentur, Franciæ Cancel-  
 lario



Sæc. XVIII. lario referrent, si res gravioris mo-  
 A.C. 1721. menti forent, aut libertates Ecclesie  
Gallicanæ concernerent.

Prælectis hisce tribus Regiis literis  
 Syndicus ad præsentem Doctorum con-  
 fessum hanc habuit orationem.

„Custodivi vias meas, posui ori meo  
 „custodiam, obmutui & filii a bonis &  
 „dolor meus renovatus est. Expecta-  
 „bam pacem, & ecce turbatio. Audistis  
 „quid ferat Regis epistola. Nihil sane  
 „contra conscientiam vestram expectat  
 „a vobis Princeps christianissimus; Re-  
 „dite ergo quæ sunt cæsaris cæsari, & quæ  
 „sunt Dei Deo.

„Sedetis vos in loco majorum, qui  
 „Regibus, supremis Magistratibus, sum-  
 „mis etiam Pontificibus, de rebus se-  
 „ad integritatem fidei, seu ad imperi-  
 „tranquillitatem spectantibus, plaudente  
 „toto orbe Christiano toties consulti re-  
 „sponderunt, qui pro a vita doctrina quan-  
 „sæculis illibatam iervat sacer Ordo  
 „fredentibus æmulis, ad posteros trans-  
 „mittendam incolumem, in conciliis  
 „tam strenue decertarunt, qui concil-  
 „liis ipsis generalibus, absque invidia  
 „aliquando præluserunt.

„Memores solemnis illius sacrament  
 „ad Aras Martyrum in ipso veitra  
 „augurationis die a vobis præstiti: que  
 „usque ad effusionem sanguinis veris



Sæc. XVIII.  
A. C. 1721.

„tis defensioni consecrati estis: Agite  
 „ne veritas, quæ orta de cælo, pere-  
 „grina est in terris, vobis tacentibus  
 „ignorata damnetur. Recogitate, quam  
 „constanter Eleazarus Vir ætate Ve-  
 „nerabilis, de primoribus scribarum,  
 „responderit olim amicis, iniqua mi-  
 „seratione suadentibus, ut per dissimu-  
 „lationem, vitæ suæ consulere. *Non*  
*ætati nostræ dignum est fingere, ut multi*  
*adolescentes arbitrantur Eleazarum nona-*  
*ginta annorum transisse ad vitam alienige-*  
*narum, & ipsi per meam dissimulationem*  
*decipiantur.*

„Et ne quid spectabilem invictæ fi-  
 „dei & conscientiæ vestræ gloriam e-  
 „vacuet, nihil subdolum, nihil ambi-  
 „guum, nihil trepidum agite, contenti  
 „libertatis vestræ professione, *secure in*  
 „*Christo stantes* (verbis utar S. Doctoris  
 „Hilarii) *per assensum subdolæ dissimula-*  
 „*tionis in injusti iudicii reatum nolite vos*  
 „*aggregare.* Salva tamen, quam constan-  
 „ter docet & semper professa est sacra  
 „Facultas, quæ Regi debetur, Reve-  
 „rentia. „

„Postulo igitur, ut obtemperetur  
 „Regi, in omnibus, in quibus salva con-  
 „scientia, potest obtemperare sacra fa-  
 „cultas, verbisque expressis, & apertis  
 „profiteatur stare se omnibus suis  
 „actis



Sæc. XVIII. „actis, & conclusionibus, nec posse ab  
 A. C. 1721. „illis, tuta conscientia, recedere.,

„Ac ne quasi suspensum videatur  
 „erga Regem obsequium, quod prom-  
 „ptum & alacre contestari desiderant  
 „omnes & singuli Magistri, ad quos di-  
 „riguntur Regiæ Epistolæ, missis aliis  
 „negotiis, de his tantum modo agatur.,

„Videte quot & quanti a vobis exu-  
 „lant Magistri, quorum alii a vestris  
 „arcentur comitiis, alii quorum fors  
 „invidenda magis quam lugenda, quippe  
 „qui propter justitiam patiuntur, ja-  
 „cent extores in diversis Provinciis,  
 „sine ope, sine libris, sine literatis ho-  
 „minibus & cordatis, quidam etiam  
 „sine sacramentis, sed nec franguntur  
 „adversis, nec calamitatibus obruuntur,  
 „testimonio conscientiaæ freti, habentes  
 „solatio scripturas, quas memoriter te-  
 „nent, & ex Apostolo memores, quod  
 „qui judicat, Dominus est.

„At bonorum omnium animos hoc  
 „unum angit vehementius ac crudelius  
 „dilacerat, quod in perniciem sacri Ordini-  
 „nis conspirare videant pravos homi-  
 „nes, quos inter plures e Fratribus in  
 „sacra Facultate enutritos & exaltatos  
 „occupare Aulas Principum, probis  
 „omnibus struere infidias, ipsumque  
 „Regis optimi malis artibus circum-  
 „venire animum. Gemunt cum vident  
 „auro



Sæc. XVIII.  
A. C. 1721.

„auro charitatis obscurato, dispersos la-  
„pides sanctuarii veritatis, timentque  
„ne destructo imperii ac Religionis pro-  
„pugnaculo, Christianissimo huic con-  
„tingat Imperio, quod Regnis pluribus  
„dolentes contigisse meminimus, quod-  
„que Christus ipse his verbis commi-  
„natus est: Auferetur a vobis Regnum  
„Dei, & dabitur genti facienti fructus  
„ejus. „

„Nominate ergo, Sapientissimi Pa-  
„tres, Deputatos, qui Regem ipsam  
„nomine vestro adeant, ad ejus pedes  
„venerabundi provolvant sese, sensus  
„vestros cum omni Reverentia expo-  
„nant, ejusque justitiam & Misericor-  
„diam implorent. „

Adversus hanc Syndici orationem  
insurgebat Tournelius, præcipue hæc  
carpens verba: *exules patiuntur propter  
justitiam*, inde enim inferebat: *si pa-  
tiuntur propter justitiam, patiuntur injuste  
a Rege, ergo Rex injustus est*, denique  
omnibus in Syndici favorem peroran-  
tibus, ipse reposuit. *Video, video ad-  
versantes Regi, pœnitebit illos & lugebunt.*  
Enim vero Rex, cum hanc orationem  
reverentiæ sibi debitæ adversari repu-  
taret, Mederico Decano traditis literis  
significabat, velle se, ut Jolino Syn-  
dici dignitate spoliato Romignius suc-  
cederet, amotus vero nullo Doctoratus  
fui



Sæc. XVIII. sui officio fungeretur, & Regiæ literæ  
 A. C. 1721. sine omni prævia Facultatis delibera-  
 tione actis infererentur; Romignus  
 igitur congregatos Doctores hortaba-  
 tur, ut cuncta dissensionum Zizania  
 inter ipsos succrescentia eradicarent;  
 se enim ad reddendam pacem nil præ-  
 termitturum: Verum Quesneus Docto-  
 rum antiquior opposuit, præprimis ad  
 Regem quosdam esse deputandos, qui  
 Eidem calamitosum Facultatis statum  
 exponerent, simulque illimitatam obe-  
 dientiam in iis omnibus, quæ nec re-  
 ligionem, nec conscientiam respiciunt,  
 profiterentur, ac demum sinistras opi-  
 niones contra Jolinum Syndicum instil-  
 latas ex Regis animo eliminare fatage-  
 rent: Quamvis potiori parti hoc con-  
 siliium arrideret, Syndicus tamen his  
 verbis conclusit: *sententia de adeundo  
 Rege non est reponenda in Conclusione, quia  
 non fuit proposita a Domino Syndico,  
 quamquam hæc sententia vincat numero.*  
 Cum vero refractarii Doctores Romig-  
 nium Syndicum appellantium factioni  
 adversari nosset, excogitatis variis,  
 iisque frivolis criminationibus eum  
 officio suo movere adlaborabant, hunc  
 que in finem quosdam Doctores ad  
 Regem ablegare decernebant, his ver-  
 bis: *vota sacrae Facultatis sunt, adeundi  
 Regem, ut apud Regiam Majestatem sancti  
 humil-*



*humillimæ supplicationes circa res præsentis: Sæc. XVIII.*  
interim vero ex literis, in quibus Romig-  
nignus vocabatur *Syndicus*, hoc officii  
nomen debebant, subrogato nomine:  
*Pro-Syndicus*. Attamen Rex, cum  
hos Doctores nonnisi novas itidem tur-  
bas concitare intentos esse, nosset,  
Facultati inhibuit, ne comitia sua vel  
prima Augusti, vel alia deinceps die  
sine Regis consensu haberent, novi au-  
tem *Syndici* munere nonnisi usque ad  
primam Octobris diem prorogato, die  
decima octava Augusti alium eligerent:  
Nominabat autem Rex ipsum Romig-  
nium, Robbeum, Robustelum & Rueum,  
necnon ad Noailii Cardinalis sollicita-  
tionem Pastellum. Hic posterior quam-  
vis a Constitutione appellasset, inita  
autem Episcoporum conciliatione uni-  
versam pene Franciam peragravit, ut  
ceteros Præsules Appellantes ad sub-  
missionem induceret, ac propterea la-  
bem contractam eluisse credebatur.  
Igitur Facultas die decima septima Au-  
gusti sequentem promulgavit conclusio-  
nem: *Habebuntur ita iubente Rege comitia  
generalia sacrae Facultatis &c. die lunæ  
decima octava Augusti &c. de mandato  
Venerandi DD. Decani*. Eadem die  
cum Abbas Tamisierus pro Pastello  
peroraret, atque inter alia diceret,  
appellationem a Noaillo non haberi  
pro

A. C. 1721.



Sæc. XVIII. pro crimine, Maffei Pontificis Nun-  
A. C. 1721. tius ira excandescens opposuit, videri  
 omnino, Noailium semper esse sibi  
 similem, appellationem utique enorme  
 esse crimen, constare tandem, Noail-  
 lium fraude, dolosis artibus, & mali-  
 tia intumescere, & cauteriatum cot-  
 moribus exterius piis ac moderatis con-  
 tegere, eoque duntaxat sine literas  
 gratulatorias ad Papam misisse, ut il-  
 lum irretiret: nec tamen responsum sibi  
 polliceretur, donec suam revocasset  
 appellationem, illum enim omnium  
 malorum, quæ Ecclesiam exagital-  
 sent, causam exstitisse, sique ipsum  
 mori contingeret, pacem Ecclesiæ mor-  
 redituram &c. Nec vana erat Nuntii  
 declamatio; opitulante enim pio Se-  
 necione Fleurio Forojulienfi Episcopo,  
 tantum effecit, ut nec Pastellus, nec  
 alius ex appellantis in Syndicum e-  
 ligeretur, contra ipsum vehementer  
 declamante ipso Consilio Ecclesiastico.  
 Eapropter Rex ad Facultatem rescriptis  
 velle se, ut illa a Syndici electione  
 abstineret, & donec aliter decretum  
 fuerit, Romignius Syndici munere fun-  
 geretur; sibi enim probe notum esse,  
 quod quidam turbidi ingenii homines  
 seposito omni pudore oblocuti, libellos  
 etiam sine Authoris ac typographi no-  
 mine paci in eiusmodi conventibus ad  
 necesse



necessariæ contrarios divulgant, e-  
 jusmodi autem ausibus obicem po-  
 nere, & ante Syndici electionem in  
 hosce inquietos inquirere, ac via juris  
 procedere, suam Majestatem necessa-  
 rium fore duxisse &c. Insuper Rex die  
 prima Novembris datis literis Facultati  
 declaravit, nullam omnino esse nomi-  
 nationem Deputatorum, & cuncta reli-  
 qua, quæ contra Majestatis suæ jussa  
 attentassent, irrita fore. Eapropter  
 decrevere Doctores, nullos ad Regem  
 esse Deputandos; cum autem prima  
 Decembris die in comitiis novos con-  
 citarent motus, hinc Romignius Fa-  
 cultatis Syndicus ex Regis mandato  
 eis præcepit, ut conventum suum  
 solverent.

§. XLVI.

*Singulare studium Franciæ Episcopo-  
 rum in reprimendis hisce diffidiis.*

Quo pertinacius quidam Sorbonæ  
 Doctores suæ insistebant appella-  
 tioni, eo firmiori pectore Franciæ Epi-  
 scopi refractariis obstitere, atque inter  
 eos præprimis Petrus Sabatier Ambia-  
 nensis Episcopus ad omnes Parochias,  
 & Abbavillanæ Urbis Ecclesias, ut pu-  
 blicas preces cum exposito SS. Sacra-  
 mento haberent, mandatum dedit,  
 O illud

*Dorsan. l. c.  
 pag. 56.*

*Hist. Eccles. Tom. LXXI.*